

29

27

33

23

18

Ende

Anfang

Non inopes onerando malis, miseriſue dolores
Augendo, & nulla ferre leuamen ope.
Scilicet haud inopis quem commiseratio tangit,
Quem mouet afflicti nullus habetq; dolor,
Natus is è scopulis, nutritus lacte ferino est,
Quæq; dedit genitrix ubera tygris erat.
Non amor huic Pietasue Dei sub mente residit,
Sed crudele furens pectus Erynnis habet.
Hanc ita non natura Ducem Pietasq; creauit,
Ad fusas sed habet molle cor ipse preces.
Hoc pia facta probant, probat hoc uenerabile morum
Et decus, & gestus, blandaq; uerba probant.
At iam tempus erat sumendi prandia præsens,
Splendidaq; hæc heros iusserat esse sibi.
Nam proceres urbis conuiuas ante uocârat
Plures, quam coenæ nocte prioris erant.
Quorum nunc caneret mea laudes forte Camœna,
Ad portum properet ni mea cymba suum.
Et metuat pelagus ne regrediatur in altum,
Vnde queat forsitan non reuocare gradum.
Sed tamen ipsorum paucis modò nomina ponam,
At laudes alio tempore carmen erunt.
Ehingerorum decus amplum & nobile factis
Huldrichus, cuius nomen & omen habet.
Perpetua ipsius nam signat gratia mores,
Maiorum nostra primus is urbc uir est.
Huic comes est ætate minor, Maiorq; secundus,
Nomine & est Daniel Schadius ille suo.
Vir magni ingenij, miram facundia laudem
Cuius habet studijs inclitus estq; bonis.

Conuiuæ Principis ad
Prandium.
Huldrichus Ehinges
rus.

Daniel Schadius.

D 2 Hic